

sunt, quae animo complectimur, quam quae oculis intuemur. Quamobrem et illius eximia virtus, summusque in te amor, magnae tibi consolationi debet esse, et nos, ceterique, qui te non ex fortuna, sed ex virtute tua pendimus, semperque pendemus, et maxime animi tui conscientiae, cum tibi nihil merito accidisse reputabis, si et illud adjunges: Homines sapientes turpitudine, non casu; et delicto suo, non aliorum injuria commoveri. Ego et memoria nostrae veteris amicitiae, et virtute atque observantia filii tui monitus, nullo loco deero neque ad consolandum, neque ad levandum fortunam tuam. Tu si quid ad me forte scripsceris, perficiam, ne te frustra scripsisse arbitrere. Vale.

IV. M. T. C. PROC. C. CURIONI TR. PL. S. D.

Ex Cilicia Curioni de tribunatu Pl. gratulatur, hortaturque, ne cuius consilium sequatur, sed quod rectum est, constanter faciat: nec patiatur sibi provinciam prorogari.

Sera gratulatio reprehendi non solet, praesertim si nulla negligentia practermissa est; longe enim absum, audio sero. Sed tibi et gratulor, et, ut sempiternae laudi tibi sit iste tribunatus, exopto: teque hortor, ut omnia gubernes et moderere prudentia tua, ne te auferant aliorum consilia. Nemo est qui tibi sapientius suadere possit, te ipso; nunquam labere, si te audies. Non scribo hoc temere; cui scribam video. Novi animum, novi consilium tuum: non vereor ne quid timide, ne quid stulte facias, si ea defendes, quae ipse recta esse senties. Quod in id reipublicae tempus non incideris, sed veneris, (judicio enim tuo, non casu, in ipsum discrimen rerum contulisti tribunatum tuum), profecto vides, quanta vis in republica temporum sit, quanta varietas rerum, quam incerti exitus, quam flexibiles hominum voluntates: quid insidiarum, quid vanitatis in vita, non dubito quin cogites. Sed amabo te, cura et cogita, nihil novi, sed illud idem, quod initio